

homo, ut species, perfectè non cognoscitur, ignorato animali, tanquam genere: & stirpes, una animati corporis species, facilius cognoscuntur, cognitio prius animalibus, altera ejusdem specie. Hinc illud Philosophi: *Ὅμηρος πρὸς ἀρχὴν γίνεται γνῶσις*, ex præexistente fit cognitione. I. post. 1.

18. Cognitio igitur nostra melior & facilior, est unica causa finalis, unde ratio omnes disciplinas ordinandi sumi debet, ut nempe aut distinctius res intelligamus, aut facilius easdem percipiamus. Quod si quicquam ad alterius cognitionem sive meliorem sive faciliorem nihil confert, tunc observatur aut ordo nobilitatis aut originis pro arbitrio.

19. Non igitur facimus cum Piccolomineo, aut cum Keckermano, qui eum sequitur: nec curamus canonem, quem sibi gratis condiderunt: Processus methodi imitetur procesum & ordinem naturalem rerum, progrediendo à naturâ prioribus & notioribus ad posteriora. Etsi enim Zabarella opponunt, artem imitari naturam; resq; se ita habere in cognosci, ut in esse: & scientias mensurari à rebus: quia tamen ordo non est ars naturæ rerum extra intellectum positarum, sed ars mentis, cujus naturam & facultatem cognoscendi ad meliorem rerum perceptionem disponit, imitatur naturâ non tam externarum rerum, quam intellectus, & à rebus sumit rationem ordinandi, non prout sunt extra animum & nostram cognitionem, sed quatenus à nobis sunt cognoscendæ. Nec menti explicat ordo legitimus rem, ut fit, sed ut est, utq; exactiorem in mente generare potest scientiam: adeoq; etsi ipsæ scientiæ rerum mensurantur ab existentia & natura rerum, ordo tamen in scientijs & disciplinis mensuratur à meliori mentis nostræ cognitione: quia ideò ordine progredimur, ut rectius discamus.

20. Hinc jam intelligitur, quid ad alteram inter Zabarellam & Piccolomineum controversam quæstionem dicendum sit, an de ratione ordinis sit, ut ordinata referantur ad unum primum, quod Piccolomineus varijs conatur stabilire rationibus: sed frustra: quum Zabarella nullibi neget, ordinem in prioribus & posterioribus rebus fieri per relationem ad aliquod primum, sed hoc tantum asserat, pendentiam illam ab uno primo non declarare ordinis naturam: nec esse ordinis in mente docentis vel discantis conditionem, ab uno semper, & non à pluribus

ribus